Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26897
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cuniam diligat. tamen emit sibi panem. Quod cum facit. dat pecuniam
quam multum diligit et augere desiderat. Sed pluris estimat salutem
corporis sui que illo pane fulcitur. Super vacaneum est diutius dispu
tare de re manifestissima. quod tamen plerumque nos facere cogit er
ror impiorum. Ergo quoniam precepto opus non est. ut se quisque et corpus suum
diligat. id est quoniam id quod sumus et id quod infra nos ad nos tamen pertinet
inconcussa nature lege diligimus que in bestias etiam promulgata est nam et
bestie se atque corpora sua diligunt. restabat ut et de illo quod supra
nos est. et de illo quod iuxta nos est precepta sumeremus. Diliges in
quit dominum deum tuum. ex toto corde tuo. et ex tota anima tua. et ex to
ta mente tua. et diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus pre
ceptis tota lex pendet et prophete. Finis itaque precepti est dilectio.
et ea gemina. id est dei et proximi. Quod si te totum intelligis. id est animum
et corpus. et proximum totum. id est animum et corpus eius. homo enim ex animo constat
et corpore. nullum rerum diligendarum genus in his duobus preceptis
pretermissum est. Cum enim precurrat dilectio dei eiusque dilectionis modus
prescriptus appareat. ita ut cetera in illum confluant. de dilectione
tua nichil dictum videtur. Sed cum dictum est diliges proximum tuum tamquam
te ipsum. simul et tui abs te dilectio non pretermissa est. Ille autem iuste
et sancte vivit qui rerum integer estimator est. ipse inquam qui ordi
natam habet dilectionem. ne aut diligat quod non est diligendum. aut
non diligat quod diligendum est. aut amplius diligat quod minus dili
gendum est. aut eque diligat quod vel minus vel amplius diligendum est.
aut minus vel amplius quod eque diligendum est. Omnis peccator in
quantum peccator est non est diligendus. et omnis homo in quantum homo est dili
gendus est propter deum. deus vero propter se ipsum. Et si deus omni homine amplius di
ligendus est. amplius quisque deum debet diligere quam se ipsum. Item am
plius alius homo diligendus est quam corpus nostrum. quia propter deum omnia ista di
ligenda sunt. Et potest nobiscum alius homo deo perfrui. quod non potest corpus.
quia corpus per animam vivit qua fruimur deo. Omnis autem eque diligen